

1072



Kem 241

(1-277)



(27)
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

A N A E M I A

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE
ET GVESTPHALIAE REL.

GRATIOSO MEDICORVM ORDINI

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSIQVE IN MEDICINA HONORIBVS

AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQVENDIS

A. D. II. DECEMBRIS. MDCCLXXXII.

E X H I B V I T

A V C T O R

GOTTLOB AVGVST FREYTAG

GERA-VARISCVS.



I E N A E

LITTERIS MAVKIANIS



*Nas̄i, vivere, mori, hominum fors est atque conditio.
Ortus nostri vnica via est, interitus vero multiplex.*



CELSISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO
S. R. I.
COMITI AC DOMINO
DOMINO
HENRICO XXX.
IVNIORIS LINEAE RVTHENO COMITI AC DO-
MINO DE PLAVIA DOMINO GRAITZAE CRANNICH-
FELDAE GERAЕ SCHLEITZAE ET LOBEN-
STEINII CET, CET,

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO



CELSISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO
S. R. I.
COMITI AC DOMINO
DOMINO
HENRICO XLIII.
IVNIORIS LINEAE RVTHENO COMITI AC DO-
MINO DE PLAVIA DOMINO GRAITZAE CRANNICH-
FELDAE GERAE SCHLEITZAE ET LOBEN-
STEINII CET.
ORDINIS AQVILAE ALBAE EQVITI CET.

DOMINO MEO INDVLGENTISSIMO



CELISSIME ET ILLVSTRISIME COMES
DOMINE CLEMENTISSIME

Mea haud nescius tenuitatis audeo, COMES ILLVSTRIS-
SIME, CELSITVDINI TVAE hasce primitias academicas de-
uotissima mente offerre, iisque, quot quantisque beneficiis
TIBI me obstrictum sentiam, publice testificari. TVAE
enim clementiae et fauori id, quo nihil mihi maius, nihil
optatius a deo immortali dari potuisse puto, vnice debeo,
quod Tvo sub paterno regimine omni felicitatis et securi-
datis genere in posterum frui, atque ad patrios lares redux,
mihi, meis, patriae, ciuibus, viuere atque pro viribus prod-
esse,

esse, nemine refragante, possim. Fretus ergo, singulari
TVA CLEMENTIA, COMES CELSISSE, qua optimum
quemque ac patriae natum virum excipiendum ac fouen-
dum censes, in spem certissimam ingredior, fore, vt nec hoc
pietatis et gratissimi animi documentum TVA indulgentia
indignum, neque nouum medicum et ciuem ceteris post-
ponendum existimes.

At vero



CELISSIME COMES HENRICE XLIII
CLEMENTISSIME DOMINE

Ingratissimus et TVA vltiori clementia indignissimus viderer, si tantorum beneficiorum, quibus me per triennium adficiendum condecorandumque liberaliter voluisti, immemor vnquam esse possem. Siquid enim habeo, quod ad vitam placide transigendam pertinere videatur, CELSITVDINI TVAE vnice in acceptis fero. Haec quidem me causa impulit, vt, quantam vim TVA merita et beneficia penes me habeant, libello hoc, etsi pertenui ac leui, quem CELSITVDINI TVAE obseruantissime dicandum puto, optimi quique inttelligent,

Ego



Ego vero nunquam desinam, COMITES CELSIS-
SIMI atque ILLVSTRISSIMI, publice profiteri, quam
felicem fortunatumque VESTRO sub patrocinio me sen-
tiam, ideoque ardentissima vota pro vita et incolumitate
nuncupare pergam.

COMITES CELSISSIMI ILLVSTRISSIMO-
RVM VESTRORVM NOMINVM

I E N A E

A. D. II DECEMBRIS 1760 CCLXXXII.

obseruantissimus

GOTTLOB AVGVSTVS FREYTAG.





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
A N A E M I A



§. I.

Commune illud humidum, quod a corde per vniuersum corpus diffusum iterum ad cor, tanquam centrum, refluit, *Sanguis* nominatur. Humore illo vitali vix vllum animal magnum caretet, quamdiu hinc inde per vasa mouetur, vita et corporis constantia relinquitur, quia sic omnes partes et viscera pro varia sua structura varias praeparant humores. Hinc non male fecisse videntur qui sanguinem fontem vitae pabulumque animae appellarunt.

§. II.

Quae sanguinis praena origo sit, fugit neminem. Sed alia quaestio est, vndenam tam mirabiles sanguinis dotes oriuntur?

B

Sine



Sine dubio doctissimi viri, LOEWENHOECK, BOYLE, MALPIGHI, BELLINI, BOERHAAVE, HALES et alii maxima industria ac experimentis perdiligenter institutis et repetitis sanguinem perquisiverunt, multa quoque vitia nondum cognita in lucem ediderunt; attamen ANT. DE HAEN, vbi de sanguine humano scribit, ingenue fatetur, multa adhuc nostra aetate in historia sanguinis supersesse vel incerta et dubia, vel manca. Neque attinet multis repetere, quae nuper HEWSON *a)*, MOSCATI *b)*, THOVVENEL *c)* alique de partibus sanguinem constituentibus, phlogisto et aere fixo, docuerunt. Sunt enim haec omnia, nisi prorsum falsa, certe maximam partem dubia, ideoque fundamenti loco non habenda. In tenebris versanti non licet pede inoffenso incedere.

§. III.

Magis interest, ut sanguinis copia semper ea quantitate permaneat, quae ad sustentationem vitae et sanitatis integritatem necessario requiritur. Sua cuique corpori quantitas a natura data est, ultra quam tuto progredi non licet sine sanitatis detrimento. Quae siue ultra modum naturalem augeatur, siue imminuatur, semper in ancipiti posita validudo est. Qui vero iste modus sit, vix ac ne vix quidem definiri potest, quia copia non spernenda sanguinis in arteriis et venis minimis, intra musculos reptantibus, delitescit, et tardius ad communem penum redit, ideoque etiamsi magnae arteriae et venae plane vacuatae sint, tamen intus remanet.

Interim ta-
men

a) Vom Blute, seinen Eigenschaft. Nürnberg. 1780.

b) Neue Beob. u. Vers. über das Blut, Stuttg. 1780.

c) Abh. von der Beschaff. d. Nutzen und d. Wirk. d. Luftaffen. Jen. 1782.



men ad quantitatem hancce obiter stabilicndam HALEs d) in sua haemastatica nobis viam munit, cum per experimenta vtilissima probaret, copiam sanguinis decimam nonam partem grauitatis corporis totius, in quo vehatur, efficere, eamque ob rem variam variis in hominibus esse oportere. Difficillimum ergo est, accuratione mathematica definire, qualis sit in quoque homine sano vel aegro moles sanguinis, ideoque, si de sanguinis missione vel iactura quaeritur, magis spectanda est ratio pulsus, quam calculi mathematici, quoniam alius librae vnus amissione mirifice laeditur, alius alacrior ex iactu duarum librarum fit. Pulsus ergo optimus tutissimusque monitor atque aestimator virium vitae ac quantitatis sanguinis reputandus esse videtur.

§. IV.

Hicce sanguis et vitae sustentandae pernecessarius, et multis mutationibus obnoxius, interdum abundare, interdum deficere solet, et vtroque modo morbos varios parere potest et *plethora*, et *anaemia*. *Plethora* e) est maior boni sanguinis copia, non, vt GALENVS bene distinxit, omne humorum augmentum, ac vasa ferre possunt. Per se sumpta haec abundantia quidem nunquam morbus dicenda est, quia homo valde plethoricus speciem sani refert, at timere debet sanitatem speciosam. Etenim leuissimae res, quae ceteros vix mouent, maximum damnum adferre solent. Plethoricus ergo non est, qui iam aegrotat, sed qui in summo quasi sanitatis fastigio positus est, vt, si quando calore vel quacunque causa alia copia humoris vltcrius moueatur


B 2

et

d) Statical Ess. containing Haemastatiks, Vol. II. Lond. 1733.

e) Cf. Ludwig Diss. de plethorae different. Lips. 1766. Sigwart Diss. de Poly-
aemiae nosologia, Tubing. 1756.





et augeatur, functiones quoque corporis laedantur. Hinc bene CELSVS f): *Si plenior aliquis, et speciosior, et colorator factus est, suspecta habere bona sua debet.* Et HAEN g): *Plethoricus futuri morbi stirpem et causam iam pridem ex nimia sui sanguinis copia trahit.* HELMONTIVS quidem putavit, plethoram male inter morbos referri, sed falsa innixus enunciatione, nihil, quod bonum sit, copia peccare posse, sed propius a vero absunt, quae alicubi SENECA dixerat. *Vitiosum est ubique, quod nimium.* Facile enim fieri potest, ut ad summum progressa fanitas, quae sub plethorae imagine incautos fallit, a calore aeris ambeuntis, rerum non naturalium minimo vitio et animi perturbationum vi subito afficiatur et prosternatur. Praeclare eam ob causam dixit HIPPOCRATES h). *Bene habita athletarum valetudo, si ad summum processerit, periculosa: Non possunt enim in eodem statu permanere, neque consistere; cum autem non consistant, nec in melius possunt proficere, superest, ut in deterius vergant.* Similiterque CELSVS, *quia neque in eodem habitu subsistere, neque ultra progredi possunt, fere retro, quasi ruina quadam, reuoluuntur.* Porro haec plenitudo distinguitur in eam, quae ad vasa, et in alteram, quae ad vires est. Sed haec et alia, quia a proposito meo quodammodo aliena sunt, iam non lubet vberius prosequi; magis, quae ad penuriam spectant. Ut enim nimia sanguinis abundantia multorum morborum causa sit, sic etiam sanguinis imminutio, cum ad vitam salubriter agendam satis apta requiratur quantitas, corpori detrimento esse, multisue iisque grauissimis incommodis viam sternere potest.

§. V.

f) De Medicin. II. 2.

g) Rat. Med. T. II, c. 2.

h) Aph. 3, Sect. I.

§. V.

Dicitur vero ille sanguinis defectus *Anaemia* (*Αναμία*) eiusque, ni fallor, primo LIEVTAUD *t*) mentionem fecit, rarius reliqua medicorum cohors, quoniam eam non morbum per se et causam proximam multorum morborum, sed symptoma haemorrhagiae reputarunt. Sic BOERHAAVE *k*), HUXHAM *l*), LUDWIG *m*), LOESECKE *n*), GAUBIUS *o*), attigerunt quidem morbum nostrum, sed non descriperunt. Inde vero non sequitur, ut ille morbosus status sit rarus, nec facile obuius, immo vero adeo mihi persuasum ac certum habeo, nihil ut magis, hunc defectum rubri sanguinis frequentius incidere, quam abundantiam. LIEVTAUD enim et HAEN hoc effectum multis dissectorum corporum exemplis confirmarunt simulque detexerunt, haemorrhagias, ut vulgo creditur, solas non semper ac ubiuis causam fuisse. Recte ergo ille eum non inusitatum morbum vocat, sed qui nos plerumque fugiat et post mortem demum detegatur. Est vero *anaemia* ille status corporis, in quo vasis minor copia cruoris inest, quam ad sanitatem integram seruandam requiritur. Duas inde hic morbus formas comprehendit, quarum altera subest, cum in omnibus fere corporis partibus nulla sanguinis guttula cernitur, altera, cum sanguis quidem animaduertitur, sed non ea copia, quae ad actiones rite perficiendas fatis est. Haec cum non, nisi ex mortuorum inspectione

B 3

c rto

t) *Precis de la Med. prat.* Cf. MOEGLING r. PICHLER *Diss. Anaemia theoret. et pract. perlustrata*, Tub. 1756.

k) *Institut.* §. 718.

l) *Opp. med.* Lips. 1773.

m) *Pathol.* §. 33. p. 15. cf. ei. *Diss. De olygochymiae different.* Lips. 1771.

n) *Pathol.* §. 385.

o) *Instit. Pathol.* §. 385.



certo probari potest, ad res occultas, quae ingenii aciem fugiunt, fere numeranda est, illa vero in hominibus debilibus, cachecticis et leucophlegmaticis inuenitur, et omnes febres intermittentes et acutas, item alios morbos, qui ex mala corruptaque praeparatione sanguinis ortum ducunt, tanquam comes et pedissequa, sequitur. In his enim morbis, quas commemoravi, portio sanguinis rubri ratione partium aquosarum longe inferior est, ac decet, partes rubrae vero, ut inter omnes constat, primam partem sanguinis constituunt, eoque respectu affirmare nobis licet, multo minorem adesse copiam, quam bonis cum hominis rebus accidere potest.

§. VI.

Haec ergo minor copia cruoris, quam ad vitam sanam sustentandam pertinet, seu absentia eius in vasis, causam morbi nostri proximam constituit. Etenim vita sana sine naturali quadam proportione solidorum et humidorum consistere non potest, hinc ubi haec defunt, vasa minus, ac opus est, extenduntur, cor minorem quantitatem sanguinis recipit, arteriarum membranae in veram diastolen non coguntur, inde minor et magis inordinatus fit circulus humorum, et hoc ex fonte innumerabilia incommoda nascuntur.

§. VII.

Multiplices sunt *causae externae et internae*, quae huic morbo nascenti fauent, et efficiunt, ut corpus sensim et ex improviso opprimatur. Quo non inepte referas, si quis famem longam lubens vel inuitus sustentavit, vel inedia misere consumtus est. Sine alimento enim functionum integritas diu consistere non potest, sed sensim vel cito extenuatur corpus, debilitas deliquiumque insequuntur, et
nisi


nisi denuo reddatur, quod amissum vel difflatum est, de vita actum est. Pessima ergo res est inedia vel defectus alimentorum potulentorumque, quia celeris refectio, quam in primis viis resorptio chyli praeflat, prorsum deficit, amissa per varia corporis emissaria pars non refarcitur, liquores digestionis proprii acriores fiunt, indeque sensim afficiuntur cetera solida et humida, vires vitae insigniter debilitantur, et bona cruoris copia prorsum imminuitur.

§. VIII.

Perturbationes animi vehementes quantum vim habeant in corpus, quam miris modis augere, imminuere et turbare possint humorum per vasa motum, innumeris exemplis certum atque comprobatum est. Lentae enim inspissant humida, immobilia reddunt, nutritionem laedunt, et motus vitales infringunt, validae vero vehementiorem celerioremq; humorum itum et reditum efficiunt, haemorrhagias largas, interdum letales, euocant, nonnunquam resolutionem et attenuationem humorum et acrimonias varias gignunt. Hypochondriaci et hystericae cum validos perpetuantur animi motus, illico sequi solet ingens profluuium urinae limpidissimae et tenuis, atque hinc patet, sanguinem orbari diluente vehiculo. Quin et irritabilitate ac sensibilitate quadam neruorum et sanguine mobili praediti, itemque grauidae, si quando irae indulgent, haemorrhagiis corripuntur. Memorabile exemplum narrat BAGLIVVS p), et THOMPSON q) haemorrhagiam vteri ex moerore ortam esse attestatur. Innumerabiles atque tristissimi effectus in actis medicorum narrantur, vnde lucide apparet, eos etiam concitasse anaemiam, nutritionem corporis

p) Prax. Med. p. 248.

q) Med Rathpfege p. 56, seq.



poris perturbasse, transpirationem nimis auxisse, denique haemorrhagias vix sistendas effecisse.

S. X.

Haud vltimum locum veneri nimiae attribuas. *Oestro dum venereo stimulatur ferocissimum animal, inquit van SWIETEN, post coitum languet. Nonne subtilioribus partibus confectus homo a praematura et immodica Venere corpus exhaurire, debilem morbosamque vitam sibi parare posset? Ille humor, ex sanguinis optima parte vasis testiculorum lente et artificiosissima via secretus, non in vsum quotidianum elaboratus sine dubio est, quanquam hominum solertia, effrenatam libidinem sine vlla verecundia exsatiandi, semen largiter profundere iubet. O misera vitae ratio, quae talia facinora audere cogit, miserior vero, quae molliter admota manu naturalibus vim inferre cogit! Talis inhumanae veneris exempla Cl. TISSOTVS^{r)} et LANGHANS^{r)} memorant, horribiliora forsitan addi possent, si arcana renelare liceret. Libidiosa illa, inquit laude dignissimus PLAZ, cuius insanius blanditiis et nefandis illocubris mentes hominum contumitari, corpora irreparabili tabe inquinata, flagitiorum suorum dignas luere per omnem vitam poenas, quotidianis, prohi dolor! edocemur faellit. Consentiant vnanimiter medici omnium temporum, vnciam vnā seminis nostri deperditam machinam nostram humiliorem infirmioremq̃ reddere, quam quadraginta vnciarum sanguinis emissio. Colligantur hinc facile, quanta eius vis sit in corporis nostri vires et actiones. Consentiant quoque HIPPOCRATES, CELSVS, ARETAEVS omnesque ceteri in Tissotilibro nominati auctores vnanimiter, et obseruationibus compro-*

barunt

r) Von der Onanie, Eisen, 1770.

s) Von den Lastern, die sich am Mensch. raechen, p.44. seq.

barunt, quod, ille abusus veneris, siue naturaliter, siue praeternaturaliter tentetur, praecipue concoctionis negotio contrarius sit, deinde vero totum corpus eneruet, et virium inopiam, quin talem ipsam inducat. Ex his sequitur, vt tales homines, frigore semper ingrato affecti, et naturalis caloris expertes, non eam habeant copiam sanguinis, quae ad valitudinem integram requiritur. Id quod etiam indicat Cl. TISSOTVS, ideoque non opus est, vt repetam, quae SANCTORIVS, GAUBIVS, GORTERVS, HOFFMANNVS, et alii litteris consignata reliquerunt, quanta debilitas, quanta diminutio humorum atque ipsius sanguinis inde infecta sit. Praeclare ergo huc accommodes, quae quondam OVIDIVS t) cecinit:

in aera succus

Corporis omnis abit, vox tantum atque ossa supersunt.

Immo vero ille veneris abusus praeter debilitatem haemorrhagias breui inducere solet. Multa huc pertinentia exempla in scriptis medicorum prostant, vnum tamen, quod ipse oculis meis Lipsiae vidi, narrare mihi liceat. Iuuenis quidam litteris deditus, viginti prope annorum, sanguineo-cholerico temperamento et incorrupta sanitate praeditus, hortatu amici scilicet primum ad onaniam accessit, deinde ad coitum foedum in lupanari publico, vnde gonorrhoeam malignam, tanquam lucrum, reportauit. Ignarus, quae huius morbi natura et origo sit, quae mala inde sequantur, tam diu eum celauit, donec dolore ingenti vexatus auxilium petere cogeretur. Adhibitis iis medicamentis, quae huc faciunt, post quatuordecim dierum spatium paene restitutus, at vero interdicti negligens, repetit veneris gaudia,

t) Metamorph. III. v. 395.



dia, quae semel gustauerat, ideoque ipsam curationem traxit. Denique persuasus, diutius sanationem duci, quam res et necessitas postulet, et consilio amici vsus, cum grauida femina a tergo rem habuit, in certissimam spem ingressus, fore, vt talis concubitus optimum, tutissimum celerrimumque gonorrhoeae sit remedium. Doloris, etiamsi grauis, nulla ratione habita, maxima contentione et fatigatis diu opus peregit, postea non negauit, se ter eundem sensum, qui iactum feminis sequitur, habuisse. Effusi sanguinis signa animaduertit, at vero certus, extra se causam eius esse positam, quasi re bene gesta, laetus hilarisque abiit. Paulo post domum rediit, se ipsum sanguinis stillantis auctorem esse didicit. Effluxit enim purus sanguis ex vrethra primo guttatim, post continuo riuulo eaque copia, vt intra quatuor horarum spatium in vltimum vitae periculum veniret. Vocatus quantitatem deperditi sanguinis vehementer miratus sum. Multis adhibitis remedijs, sensim fluor sisti coepit, et cum magno salutis dispendio quidem liberatus est aeger, at vero mirifice mutatus. Pallor in ore erat, robustissimum corpus breui apparebat macilentum, tribus annis elapsis, vires vix aliquo modo erant redintegrate, sensus frigoris sempiterni, pulsus debilissimus, dolor ventriculi ob malam tardamque concoctionem aderant, donec tandem misera tabe confectus emisit animam. Similes et vix sistendae haemorrhagiae ex naribus, ore cet. inciderunt, et eundem tristem effectum, imminutionem boni cruoris, reliquerunt.

§. XI.

Alia causa praedisponens inest nimis litterarum studijs, inprimis nocturnis. Consumitur enim his neruorum vis, subtilissima humida dissipantur, reliqua exsiccantur, acria augentur, omnes actiones
visce.

viscerum chylopoieticorum languent, concoctio et nutritio profus impediuntur. Monuit ergo rei apposite diuinus HIPPOCRATES u): *Vehemens vigilia potus et cibos tum crudos, tum incoctiores efficit.* Et alio loco: *Pessimum est, non dormire.* Quo facto, unde sanguis praeparari debet?

§. XII.

Cum subtilissima humida non tantum ex corporis superficie, sed ex ipso sanguine et reliquis humoribus transpiratione nimis intensa dissipantur, solida laxantur, elongantur, et ad motum inepta reduntur, mobilitas imminuitur et corporis vigor petit, nequaquam *calidorum et alexipharmacorum* inconsultus ac continuatus usus praetereundus hic est. SANCTORIO enim auctore ac teste idoneo, transpiratio omnes reliquas simul sumtas excretiones excedit, ideoque huius euacuationis iusta ratio summi momenti est; id quod KEILIVS et GORTERVS experimentis et obseruationibus suis confirmarunt. Et VAN SWIETEN fati vere: *Notum est, inquit, toties chlorosin et summum languorem, fluorem album et vteri haemorrhagias fieri mulieribus, dum potibus aquosis tepidis abutuntur.* Non ergo in dubio posita causa sanguinis haec transpiratio coacta putanda est.

§. XIII.

Neque minus liberi aeris priuatio huc pertinere videtur, de cuius praesentia et natura praeclare egerunt HIPPOCRATES x),

C 2

MAL-

u) L. Viét. Acut. p. 76, T. XI. ed. Chart. et Ill. Gruneri Bibl. d. alten Aezte, B. I. p. 80. seq.

x) L. De Flat, §. 2. et Bibl. d. alt. Acrzt. T. II, p. 249. seq.



MALPIGHI, WALAEVS, BOERHAAVE, HALES, LOWER, alii. Tanta enim aeris in aegris et fanis vis est, vt sine eo neque sanitas feruari, neque morbus facile tolli possit. Corruptio enim aeris boni ad sanguinem contaminandum, deteriorem reddendum ac minuendum plurimum confert. Adspice miseros vel nocentes homines, qui per longum temporis spatium in custodias dati delitescunt, vel sponte sua in vaporariis commorantur, puro aere priuati. Os eorum manifeste inopiam sanguinis rubri prodit. Sunt enim cachectici. vid. PRINGLE, *von den Krankheiten einer Armee*, Altenb. 1772.

§. XIV.

Inter omnes haecenus recensitas causas, quae morbum nostrum gignere possint, certissime venaesectio vel nimia, vel male adhibita, vel temere repetita quam maxime memoranda erit. Id quod iam suo tempore perspexit CELSVS ^{y)}: *Sanguinem, incisa vena, mitti, inquit, non nouum est, sed nullum pacne morbum esse, in quo non mittatur, nouum est.* Maxime profecto haec nostra aetate iste abusus incidit, non solum in morbis, sed etiam in valetudine integra. Multis, simulac tempus, solitum aduenit, consuetudinis ergo vena secatur. Sanissimus saepe homo, absque vlla necessitate, iubente more antiquo et medico malefano, sanguinem mittit, vt eo facilius in morbum incurrat. De quo videas BIENVILLE ^{z)} et SAMVEL FARR ^{a)}. Negligunt medici, quae CELSVS recte dixerat: *Inter-*
est,


y) De Medic. II. 10.

z) L. De errorib. respect. sanit.

a) Vom Aderl. in d. Schwinds. in Saml. auserl. Abh. für pract. Aertz. T. III. p. 120.; cf. Ludwig. Diss. De Venae. plethorae differentiis accommodanda, Lipsi. 1767.

est, non quae aetas sit, neque quid in corpore intus geratur, sed quae vires sint. Et paullo post: Non quicquid aut intentionem animi, aut prudentiam exigit, protinus citiendum est, cum praecipua in hoc ars sit, quae non annos numeret, neque conceptionem solam videat, sed vires aestimet cet. Nam si alimenta bene subacta sanguinis promus condus sunt, facile intelligitur, magnam iacturam sanguinis assimilationem hanc impedire, et hinc profusam et frequenter repetitam missionem sanguinis restitutioni sani humoris obstare. Pauci enim dantur homines, quos ob nimiam sanguinis abundantiam venam secandi necessitas viget. Quod dum moneo, nolo haberi vnus e grege ERASISTRATI, HELMONTII et id genus sectatorum, qui omnem sanguinis missionem damnandam, et nimiae copiae diminuendae causa inediam et alia huius farinae praesidia sequenda iuebant. Maxima saepe vtilitatis et vnicum morbi expediendi auxilium sanguinis missio est. Ipse ego anno praeterito puero decem annorum pleuritide laboranti felicissimo cum euentu venam secari iussi, itemque eodem tempore et eodem morbo, aegrae feminae spatio viginti quatuor horarum ter venae sectionem reiterandam, nec infeliciter, suasi. Abusum tantum, hoc est, immoderatam missionem, absque necessitate factam, et absque iudicio, cum magno corporis detrimento repetitam, damno, quia eligitur illud artis praesidium, non quod opus est, sed quod lubitum est. *Non est, inquit SENECA, in rebus vitium, sed in animo ipso.* Quam periculosus sit ille abusus, multis, iisque tristibus exemplis comprobari potest. Licet enim haec mala consuetudo ad faciliorem repletionem disponat, et eo citius, homo turgeat, quo saepius iacturam sustinet, quoniam ex auctorum obseruatione sedecim sanguinis vnciae per venae sectionem educatae intra quinque dierum spatium in homine non debilitato re-





fituantur, tamen inde semper debilitas cito insequitur. *Non videtur, inquit VAN SWIETEN, adeo laudabilis haec consuetudo, qua sanguis saepius in anno sanis hominibus cautela gratia mittitur; debilitatur enim inde corpus, et ad faciliorem repletionem disponitur.* Quin ipse GALENVS, qui frequentes in morbis et audacissimas venaesectiones ad animi deliquium vsque iussit institui, medicos quoque a venaesectione abhorrentes *ἀμαρσὸς* vocans, hanc consuetudinem damnauit. *Per annum venam secare, inquit, saepius haud expedire arbitror, quod una cum sanguine vitalis excernatur spiritus. Atqui si hic copiosus absumitur, tota moles refrigeratur, et omnes naturales operationes deterius persciuntur.* Et BOERHAAVE *b)*. *Sanguinis nimia excretio tollit vires, minuit spiritus, et destruit omnes actiones.* Memorabilia duo exempla LIEVTAVD addidit, virginis nempe, cui centies intra annum vena secata fuit. Repente mortua est, nec guttula sanguinis in capite, pectore et abdomine inuenta. Aliud vero ad virum nobilem spectat, qui peripneumonia laborare credebatur. Hinc sanguinis magna copia adempta fuit, sed haec optima aetate constitutum virum repente iugulauit, et in dissecto corpore vix quaedam sanguinis guttulae percipiebantur. Similia THOMPSON, et MARQVET *c)* memorarunt. Idem illud naturales euacuationes sanguinis nimiae, vnde demum cunquae ortae sint, efficere solent.

§. XV.

Ipse morbi acuti, in quibus statim appetentia perit, et fastidium ciborum incidit, ab hac culpa immunes non sunt. Nam cum nihilosecius excretiones et resorptio continuant, et nihil noui ali-

men-

b) Institut. §. 775.

c) Tr. de l'hydropisie et de la jaunisse.



menti superaccedit, vires inde magis magisque imminuuntur, ideoque mirum non est, si anaemia eos non solum comitatur, sed etiam abactos insequitur.

§. XVI.

Ex his, quae adhuc memoranda duxi, signa quaedam anamnesticæ repeti possunt, unde nimiam inopiam sanguinis coniciamus. Sunt vero potiora, quae sequuntur. *Pulsus debilis*: Ille enim semper significat, bene monente VAN SWIETEN d), vires mouentes sanguinem per vasa imminutas esse, vel liquidi mouendi copiam deficere, siue hoc fiat post validas euacuationes praegressas, siue in plurimis vasibus obstructis et dilatatis accumulato fere omni sanguine, pauculum per vasa adhuc libera fuit, quod non sufficit arteriis valide dilatandis. Aliud signum est, si corpus magis, quam in sano statu alget, et color natiuus valde imminuitur. Id enim ineptitudinem seu debilitatem actiones naturales et animales iusto modo conficiendi indicat, quod minor adsit copia sanguinis, quam decet. De quo iterum optime VAN SWIETEN e) *Vacillabit itaque naturalis humorum per vasa motus, deficiet copia sanguinis per vasa encephali pellendi, minuetur pressio, qua urgentur liquida in vasa secermentia corticis cerebri et cerebelli, adeoque et deficiet secretio spirituum, et illorum motus aequabilis per nervos, unde necessario sequi debet debilitas: Patet, dum robustissimo homini per vulnus inflatum tanta contingit sanguinis iactura, ut debita plenitudo in arteriis deficere incipiat, illico corpus languet, et in summam debilitatem incidit.* Sic etiam suspicio excitatur, si in aegro paulo ante spontanea sanguinis excretio seu haemorrhagia consecuta est, vel si aeger fortuna aduersa vulnere ingentem sanguinis copiam perdidit. Item si aegri, absque plethora vera, priusquam



quam medicus accersitus necessitatem perferuari poterat, vena, et forte reiteratis vicibus, secata fuerit, sanguinis defectum suspicari possumus. Tandem quoque si morbus ducitur, aeger nonnullis diebus praeterlapsis, corpore marcescit, et viribus deficit, exploratum habemus, nimis parvam copiam sanguinis inesse corpori, et periculum inde imminere.

§. XVII.

Cum vero saepius post magnas haemorrhagias, venae sectiones nimias, in diem diu toleratam, defectus ille sanguinis non insequatur, exinde liquet, quam difficile sit, accuratam diagnosise anemiae formare. Haud raro post mortem demum detecta est, cum antea nullum adesset signum. Sic HAENIUS *f)* exemplum hominis refert, qui arthritide laboravit, pulsus semper ad mortem usque magnum habuit, nullamque nimiam excretionem qualicunque via sustinuit, et tamen post mortem, ubi cultro subiceretur, sanguine orbis inuentus est.

Aerne, quem LIEVTAUD in vasis sanguiferis dissectorum mortuorum vidisse se memorat, causa magni pulsus fuit? Aliud refert exemplum *g)* feminae, quae absque vlla nimia excretionem post mortem ne guttulam sanguinis reliquam ostendit. Tamen ex causis indicatis, etiamsi labem illam morbosam praesentem certissime non denuncient, suspicio occulti mali repetere licet. Illi, inquit LIEVTAUD, qui hoc occulto morbo laborant, sensim vires perdunt, de sonitu aurium continuo conquerantur, cibi fatietate tenentur,

color

f) Rad. Med. T. V. c. 5.

g) Ib. T. IX. c. 1.


color faciei fere semper mutatus, abit. Puriori diarrhoea vel diabete excruciantur, alii dies noctesque madent sudore, alii antea syncoptici repente moriuntur. Interdum crura tumescunt, et postea in pectoris abdominisque cavo liquor aquosus colligitur. Vbi trahitur morbus, aegri somno priuantur, plorant et ingemiscunt semper, omnemque spem sanitatis recuperandae deponunt. Moerore et metu mortis alii mentis errore adficiuntur, donec extremum vitae spiritum emittunt. Rebus ita se habentibus, vbi aliquam superius memoratarum causarum antecessisse in propatulo est, de anacimia non amplius dubitare licet.

§. XVIII.

Non sine consilio dixi, diagnosin huius morbi esse difficillimam, quia plerumque aliis sub malis veluti delitescat. Sic, vt hoc vtar, cachexiam semper comitatur anaemia, vel, vt verius dicam, inopia sanguinis tantum non semper causa cachexiae est. Scimus enim, eam dispositionem corporis, quae nutritionem impediat, esse perennem fontem multorum morborum. Hinc CELSVS quemlibet malum corporis habitum *cachexiae* vocabulo insigniuit, et optime notauit ARETAEVS, cachexiam omnium vitiorum secundam parentem esse. In inquisitione causarum huius status aduersi omnes auctores assumunt debilitatem, malum colorem et functionum plurium lacionem, haec vero, vt ex iis, quae superius dixi, satis patet, originem ex absentia sanguinis rubri ducunt, ideoque videtur principalis causa in haec inopia latere. Dies me deficeret, si omnia mala, quae inde oriri, et iterum ex illis generari possint, vberius enarrare vellem, hinc nonnullas modo species ex pluribus inuestigabo. In chlorosi seu pallore virginum, e. g. languor totius corporis, lassitudo

D

infi-



in signis, pulsus debilis et facies pallida manifeste declarant, cruoris necessariam copiam deficere. Obseruavi, inquit LIEVTAUVD, ob sanguinis inopiam in chloroticis menstrua substituisse. Ill. DELIUS in diss. de ataxia mensum prouide diiudicanda et curanda, quoque inter causas menostasiae anaemiam numerat. A posteriori facillime id probari posset, si opus esset. Vnicum exemplum subiiciam, quod in Holsatia commoranti mihi exhibuit melancholicus. Vir quinquaginta circiter annorum, tranquillus et pacificus, a prima iuuentute labori ac duro vitae generi deditus, mente sana et corpore sano usus, sensit vacillantem valetudinem, et a circulatore, praemissa venae sectione, medicamenta vomitum scientia et drastica purgantia accepit. Meliuscule se habere visus est, sed appetitus prostratus et languor totius corporis remansit. Cogebatur paullo post tempore autumnali magnos et operosos labores expedire, sed breui laborem mittere debuit: *Mortuus sum, inquit, iam sepultus sum.* Vni eidemque cogitationi ita inhaesit, ut neque vi, neque persuasionibus amicorum ad sumendum cibum vel potum adigi posset. Quatuordecim praeterlapsis diebus, vocatus aegrum inuisi. Vbi ex me quaesierat, quis sim, pulueres quosdam nigros, a circulatore acceptos, mihi monstrauit, et illico ad sueta verba rediit, pulueres respiciens. Ego vero alia ei medicamenta, cibum et potum, inconsumtum atque adeo gratum vinum porrigere, sed incassum, ille vi et persuasioni resistere, atque exclamare, *mortuus sum, iam sepultus.* Macie iam confectus erat, perpallidus, pulsus praedebilis, et quod maxime mirandum, omnis sensus expertus, sic, ut acuum punctiones, virgarum caedes atque adeo moxam pro nihilo haberet. Cum ergo neque vi ac minis, neque verbis lenioribus ad cibum, potum et medicamenta sumenda impelli potuisset, quotidie vero magis magisque debilitas incref-

crefeeret, tandem mihi in mentem venit, linguam eius fale culinari confricare. Quo facto nolente volente aegro, aquam ori admotam bibere incepit. Sic die tertia halecem appositum comedit, posthac cibum appetit, et per quatuordecim dies non, nisi haleces muria infectos sumit, magnam copiam degochi auenae vel hordei, vel panis ingurgitavit, et tandem desiderium cibandi quotidie increvit. Tunc victum leuiter mutandum et mediae materiae dandum putauit, et sic post sex hebdomades aeger optime conualuit. Causae huius affectus melancholici in sanguinis penuria posita erat? Videtur. Simul ac enim ea, quae sanguinis generationi inseruiunt, fieri coeperant, pulsus derepente maior et celerior factus est, exteriores partes antea frigidae incaluerunt, sensus plane restitutus est, et absque villo medicamento cum valetudine in gratiam rediit. Similiter omnibus fere intermittentibus febribus eruoris subest defectus. Hac de re legi mentur, quae HAENIVS *h)* consignata reliquit.


§. XIX.

Iam ad prognosin propius accedamus. In inedia, v. g. si tam diu duravit, ut omnes humores iam acres, vel viscera corrupta sint, malus erit exitus, contraria vero spem sanationis reddunt. Dubia et anceps spes est in melancholicis, varia in iis, quos vcnus infida delitavit humoribusque bonis orbavit, denique in angusto posita, ubi vigiliae, contentio studiorum et largae egestionis nimis diu contnuarunt. Ratione durationis pariter varius anaemiae euentus est. Facile sub initio superatur malum, sin vero negligitur, quia leue videtur, vel ob coniunctionem cum aliis morbis non cognoscitur, vel parui ducitur, donec omnes humores dilapsi perierunt ac vires deperditae sunt, cer-

D 2

tiss-

h) Rat. Med. T. XI. c. I. p. 2. sequ.



tissima mors est. Gradus mali ex duratione morbi, ex specialioribus effectibus, ex aetatum viriumque varietate, et corporis habitu definitur, et inde exitum augurari licet.

§. XX.

Reliquum est, vt de curatione agatur. Haec vero, si qua alia, difficillima est. Interim sine dubio maximam vtilitatem haec afferunt, abstinencia a nocituris et aptus vsus rerum adhibendarum. Huc ergo prae ceteris accommodes, quae HIPPOCRATES dicit: *Optima medicina est, medicinam non facere.* Item quae CELSVS habet, *omnium optima quies est et abstinencia*, eamque ob causam immortalis BOERHAAVE in prophylaxi abstinenciae primum locum concessit. Etenim quid iuuabit farrago medicamentorum, nisi vitentur causae morbum producentes? Optima alimenta, exquisita, instaurantia, nullam vtilitatem voluptati dedito praestabunt, nisi abhorreat a venere, plus mali afferet, quam commodi chloroticae martialium vsus, nisi accuratam quoque obseruet normam in rebus non naturalibus. Idem illud de nimis vigiliis, medicinis sudorem cientibus, animi motibus et vnaesfectione intempestiua valet. Prima ergo lex in curatoria indicatione sit fuga earum rerum, quae anemiae ingenerandae vel fouendae fauent, quin ipsius vacationis ²⁾ cuiusque.

§. XXI.

His peractis, eo respiciendum est, vt sanguinis boni copia, qualicunque causa imminuta, denuo resarciatur, et deficiens robur solidorum partium restituatur. Irrita medicina est, nisi vires suppetant bono sanguini ex ingestis faciendo. Quid et quantum huc
son-

²⁾ Senae Tr. du Cœur, L. IV, c. I, §. 2.

conferat vis intestinorum, vasorum et viscerum ad bonam amissi sanguinis redintegrationem et assimilationem, iam non attinet multas anquirere. Id vnum necessarium esse videtur in curatione anaemiae, vt medicamenta cum alimentis bene coniungantur. At vero ob multiplices et varias causas generalis medendi via stabilienda non est, sed varie immutanda et aptanda. Requiritur ergo, vt victus aegrorum sit levis materiae, hinc alimenta dentur, quae liquidis nostris similia sunt, et facile imbibuntur, causae singulari consentanea, et, quantum fieri potest, aegro grata sunt. Hic princeps lac est, maxime humanum, deinde asininum, post caprinum, tandem vaccinum, si ieiuno ventriculo ex vberibus ductum bibatur. Nisi hoc fieri possit, praestat sumere in initio hydrogala i. e. lac aequali parte aquae fontanae seu selteranae, seu alius fontis egelidae, sensim vero lac augere, donec id purum ferri ac concoqui ab homine debili queat, obseruatis iis, quae in usu lactis praecipiuntur. Huc etiam pertinent saccharum lactis, oxygala et alia eius praeparata, oua, albumen recentium ouorum, aqua tepida dilutum vel aliquo aromate conditum, iura carniū, maxime ex gallinaceo genere, vitulina dein, postea ouilla et bubilla, denique alimenta machinae papinianae ministerio parata, ne optima et subtilissima pars nutrientis materiae in auras dilapsa pereat, porro infusum hordei tosti *k*), saleb *l*), decoctum panis rite fermentati, gelatina panis, cremor panis *m*), decoctum album SYDENHAMI, decoctum LOWERI, Sago vel similem virtutem praestans decoctum hordei distichi, confecturam ex


D 3

Cacao,

k) Macbride Einleit. in die theor. u. pract. Arzn. p. 1031. seq. et Collins, Obseru. P. V.

l) Schwed. Abh. B. 25. u. 30.

m) Boerb. Mat. Med. p. 98.



Cacao, quam LEWIS debilibus suadet, vina florentina austera, gallica rubra acerba, graeca nigrescentia sapore adstringenti praedita, et hispanica nequaquam adulterata et modice sumta, aqua frigida communis, sed pura, limpida, leuissima, inodora, insulsa, copia aegri viribus apta, quam mirifice extulit dilectissimus et venerandus THEDENIVS, balnea frigida, iubente RISSOTO n), in nonnullis cereuisiae coctae, fermentatae et bene defaecatae, praecipue inconfuctis et delicatioribus, (quas varie vtilissimas intellexi), item medicati fontes et balnea medicata. Vt vero solida fortius in fluida contenta agant, et maior cohaesio fiat partium, adiungi possunt frictions ex pannis laneis asperis calidis, gummatum fumo infectis, unctiones in equo ante prandium, vel post digestionem paene peractam, primum leues, post sensum auctae o), quoniam, CELSO monente, *imbecillum prima curatio est exercitatio*, vel ictio in rheda, vel motus ex machina oscillante, qualem QVELLMALZIUS descripsit p). Vbi vero vires quodammodo redire inceperint, tunc motu musculari firmeretur corpus per itinera grata et festiua, per ambulationes, cursus et id genus alia corporis exercitia, nutrientia et usum liberi, puri ac temperati aeris. Sed haec fere aptanda cuiusque aegri naturae et morbi stadio sunt. An accubitus puellae seni effeto? Videtur, sed vide, quae lepide admonuit Ill. GRVNER q).

§. XXII.

n) *Marteaux de balneis* Cf. *Bergius* von Kalt. Baed. Lipsf. 1747.

o) *Sydenb. Opp.* T. I. p. 274.

p) *Nou. sanit. praesid. ex equit. machin. benef.* Lipsf. 1735.

q) *Almanach für Aerzte.*, a. 1783. p. 284.

§. XXII.

Ad medicamenta proprie talia quod attinet, huc quidem analeptica, stomachica, carminatiua et cardiaca numerari possent, quorum magna supellex in materia medica suppetit, sed non nulla in eorum locum substituere placet. Haec sunt Rheum, parua dosi per se, vel cum magnesia et cremore tartari iunctum, pulpa cassiae, tamarindorum cet. sub principio morbi conducunt.

Martialia diuersimode praeparata vel aliis coniuncta et varia dosi data saepe profunt. Quae vis vtrum principio martis debeatur, nec ne, iam mitto r).

Cortex etiam diuersimode adhibendus iuuat in puluere, sub decocto r), cum aliis coniuncta, ex. gr. Cort. aurant et aliis r).


His adnumerari meretur Elix. vitriol. Lond. quod, teste HAENIO, in ventriculi debilitate et phthisi consummata magnam utilitatem attulit.

Quaeritur, opiata in nostro morbo vsu adhibenda sint, nec ne? Multi, praecipue HOFFMANVS, vsum earum in hominibus debilitatis improbant. Tamen si anaemia ex haemorrhagia oritur, non

r) Vid. *Griffith Praef. Obseruat. et Gmelin*, Diff. An. adstringent. et robor. stricte dicta ferreo princip. suam deb. efficaciam, Tub. 1773.

r) Haen. *Rat. Med.*, T. XII, c. 6, p. 255. seq.

r) *Thompson Med. Obs.* on various diseases, Lond. 1773, *Lewis Materia Med.* Zurich, 1771.



non solum non vituperanda sunt, sed interdum necessaria ad nervorum sensum et irritabilitatem sopiendam. Quae quantopere prosint, in me ipso praeterito anno, cum ex infortunio aeger essem, percepi. Sic quoque THOMPSON in femina hoemorrhagiam ex moerore perpeſſa et debilitata laudanum proficuum sensit. Plura speciosa qui velit, adeat TISSOTVM. Sed ad finem properanti mihi CELSI effatum in mentem venit. *Rationabile est, inquit, inter multa similia genera et morborum, et remediorum cogitare, quo potissimum medicamento sit utendum.* Neque ignorare debet medicus, quia non omnibus aegris eadem auxilia conveniunt, quid et quando maxime caueat quid et quando maxime prosit.







KD. 78

PICA





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

(27)

DE

A N A E M I A

RECTORE ACADEMIAE

CAROLO

DVCE SAXONIAE IVLIACI
ET GVEST

GRATIOSO ME

PRO GRADU

SVMMISQVE IN M

AC PRIVILEGIIS

A. D. II. DECE

E X H

A V

GOTTLOB AV

GERA-



I E

LITTERIS

